

Unde Apostolus dicit : « Sol non occidat super iracundiam vestram. » Moxque subjungit : « Neque detis locum cum diabolo <sup>1</sup>. » Tanquam hoc agat, qui non cito iram pellit ex animo, ut per illam velut per januam aditum præstet diabolo. Primitus itaque agendum est, ut super iram non occidat iste sol, ne deserat ipsam mentem justitiæ Sol. Sed in cujus pectore adhuc usque permansit, pellat eam saltem jam proximus dies Dominicæ passionis, qui non est iratus interfectoribus suis, pro quibus in ligno pendens et precem fudit et sanguinem. In cujuscumque ergo vestrum pectore usque ad istos sanctos dies fronte impudentissima perduravit, nunc inde saltem ira discedat, ut oratio segura procedat : nec offendat aut palpitet, aut sub conscientie stimulis obmutescat, cum ad eum locum venerit, ubi dicendum est : « Dimitte nobis debita » nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris <sup>2</sup>. » Aliquid petaturi estis ne vobis retribuatur, et aliquid ut tribuatur. « Remittite ergo, et remittetur vobis : date et » dabitur vobis <sup>3</sup>. » Hæc, fratres, etiamsi non admoneam, perpetua meditatione curare debetis. Cum vero tot divinorum testimoniorum ministra vox nostra, diei quoque præsentis celebritate juvetur ; timere non debeo ne me, vel potius omnium Dominum in me, aliquis vestrum forte contemnat : sed sperare potius quod grex ejus agnoscens ejus esse quod dicitur, eum efficaciter exaudiendus exaudiat.

<sup>1</sup> Ephes. iv, 26, 27. — <sup>2</sup> Matth. vi, 12. — <sup>3</sup> Luc. vi, 37, 38.

SERMO CCIX<sup>1</sup>.*In Quadragesima, V.*

I. SOLEMNE tempus advenit, quando de anima attentius cogitanda et corpore castigando Vestram commoneam Charitatem. Hi sunt enim quadraginta dies sacratissimi toto orbe terrarum, quos propinquante Pascha universus mundus, quem Deus in Christo reconciliat sibi, prædicanda devotione concelebrat. Si quæ inimicitie, quæ vel nasci non debuerunt, vel cito mori debuerunt ; et tamen usque ad hoc tempus sive negligentia, sive pertinacia, sive non modesta, sed superba verecundia, inter fratres perdurare potuerunt ; saltem modo finiantur. Super quas sol non debuit occidere, saltem post multos solis ortus et occasus, etiam ipsæ suo tandem aliquando extinguantur occasu, nec ulterius ullo renoventur exortu. Negligens inimicitias finire obliviscitur ; pertinax veniam non vult concedere, cum rogatur ; superbe verecundus veniam petere dedignatur. His tribus vitiis inimicitie vivunt : sed animas in quibus non moriuntur, occidunt. Vigilet contra negligentiam memoria, contra pertinaciam misericordia, contra superbam verecundiam submissa prudentia. Qui se concordie recolit neglectorem, excutiat expurgando torporem ; qui se cupit esse sui debitoris exactorem, Dei se cogitet debitorem : qui erubescit petere ut sibi frater ignoscat, vincat per bonum timorem malum pudorem :

<sup>1</sup> Alias de Diversis 73.



ut noxiis inimicitiiis finitis, ut eis mortuis, vos vivatis. Totum hoc charitas agit, quæ non agit perperam<sup>1</sup>. Charitas, fratres mei, in quantum adest, exerceatur bene vivendo : in quantum autem minus est, impetretur petendo.

II. Ut autem nostræ orationes congruis adminiculis adjuventur, quoniam in his diebus ferventiores eas habere debemus ; etiam eleemosynas ferventius erogemus. Ipsi adjiciatur, quod nobis jejunando et a cibis solitis abstinendo detrahitur. Quamvis eas debeat largiores habere, qui propter aliquam necessitatem corporis sui et consuetudinem alimentorum non potest abstinere, ut hoc addat pauperi, quod sibi detrahit : sed ideo plus det pauperi, quia sibi non detrahit ; ut quoniam minus potest orationes suas castigatione corporis adjuvare, abundantior in corde pauperis includat eleemosynam, quæ pro illo possit orare. De Scripturis sanctis hoc est saluberrimum amplectendumque consilium : « Include, inquit, eleemosynam » in corde pauperis, et hæc pro te exorabit<sup>2</sup>. »

III. Admonemus etiam eos qui se a carnibus abstinere, ne vasa in quibus sunt coctæ tanquam immunda devitent. Sic enim loquens Apostolus ait : « Omnia munda mundis<sup>3</sup>. » Quod enim fit in hujusmodi observationibus sana doctrina, non fit causa immunditiæ devitandæ, sed concupiscentiæ refrenandæ. Unde et illi qui sic se a carnibus temperant, ut alias escas et difficilioris præparationis et pretii majoris inquirant, multum errant. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed mutare luxuriam. Quomodo istis dicturi sumus, ut quod sibi detrahunt dent pauperi ; a quibus solitus ita cibus relinquitur, ut in alio comparando sumptus augeatur ? Estote ergo his diebus et crebrius jejunantes, et vobis parcius impendentes, et egenis largius tribuentes. A conjugali quoque concubitu, hi

<sup>1</sup> 1 Cor. xiii, 4. — <sup>2</sup> Eccli. xxix, 15. — <sup>3</sup> Tit. 1, 15.

dies postulant continentiam : « Ad tempus, ait Apostolus, ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter intemperantiam » vestram<sup>1</sup>. » Non est hoc arduum atque difficile diebus paucis fidelibus conjugatis, quod a certo vitæ articulo usque in finem sanctæ viduæ susceperunt, quod tota vita sanctæ virgines faciunt. Atque in his omnibus ferveat devotio, comprimatur elatio. Nemo sic gaudeat de bono largitatis, ut bonum amittat humilitatis. Omnia vero cætera Dei dona non faciunt prodesse aliquid, nisi adsit vinculum charitatis.

## SERMO CCX<sup>2</sup>.

### *In Quadragesima, VI.*

I. SOLEMNE tempus advenit, quod amplius quam per anni cætera spatia, nos orationibus atque jejuniis animam humiliare, et corpus castigare commoneat. Cur autem hoc propinquante solemnitate Dominicæ passionis, et cur quadragesimi numeri mysterio celebretur, quoniam solet movere nonnullos, merito de hac re quod dicendum Dominus donare dignatus est, ad Vestram Charitatem proferre suscipimus. Quos autem ista non ad litigandum, sed ad cognoscendum quærere novimus, eorum fide atque pietate multum adjuvamus, ut dicenda impetrare possimus.

II. Hoc enim solet facere quæstionem, cur ipse Domi-

<sup>1</sup> 1 Cor. vii, 5. — <sup>2</sup> Alias de Diversis 74.



nus Jesus Christus, qui humano corpore assumpto ad hoc utique hominibus homo factus apparuit, ut nobis et vivendi et moriendi et resurgendi præberet exemplum, non antequam baptizaretur, sed posteaquam baptizatus est jejunavit. Sic enim scriptum est in Evangelio: « Baptizatus autem confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem super se. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui<sup>1</sup>. Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esurit<sup>2</sup>. » Nos autem cum eis qui baptizandi sunt, ante diem baptismi eorum, qui dies paschalis appropriat, jejunamus, post quem diem per dies quinquaginta jejunia relaxamus. Quod merito movere deberet, si baptizare vel baptizari nisi die paschali solemnissimo non liceret. At cum per totum annum, sicut unicuique vel necessitas fuerit vel voluntas, non prohibeatur a baptismo, id donante illo qui dedit eis potestatem filios Dei fieri<sup>3</sup>; anniversariam vero Domini passionem, non nisi certo anni die, quod Pascha dicitur, liceat celebrari: baptismi sacramentum a Pascha procul dubio distinguendum est. Hoc enim omni die licet accipere: illud uno et certo anni die fas est agere. Hoc ad innovandam vitam datur: illud ad religionis memoriam commendatur. Sed quod ad illum diem longe major baptizandorum numerus confluit, non gratia uberior salutis hic distat, sed lætitia major festivitatis invitat.

III. Quid quod etiam baptismus Joannis, quem tunc Christus accepit, a baptismo ipsius Christi, quem fideles ejus accipiunt, discernendus est; nec ideo ille quo baptizatus est Christus, melior est isto quo baptizatur Chris-

<sup>1</sup> Matth. iii, 16, 17. — <sup>2</sup> Id. iv, 1, 2. — <sup>3</sup> Joan. i, 12.

tianus, quia Christiano melior est Christus; sed ideo magis istud baptismum, quia Christi est, illi præponitur? Joannes enim baptizavit Christum, cum se Christo confiteretur minorem: Christus autem baptizat Christianum, qui se ostendit et Joanne majorem. Sicut circumcissione carnis, quamvis eam et Christus accepit, et nemo Christianus nunc accipit, melius est sacramentum resurrectionis Christi. quo ad expoliandam carnalem ac veterem vitam circumciditur Christianus, ut audiat Apostolum dicentem: « Sicut Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, » sic et nos in novitate vitæ ambulemus<sup>1</sup>. » Sicut ipsum vetus Pascha, quod agni occisione celebrare præceptum est, non ideo quia hoc cum Discipulis celebravit Christus, melius est quam Pascha nostrum, quo immolatus est Christus. Pertinuit enim ad præbendum nobis humilitatis et devotionis exemplum: ut illa etiam sacramenta veniens suscipere dignaretur, quibus venturus ipse prænuntiabatur: ut hinc ostenderet quanta religione nos oportet hæc suscipere sacramenta, quibus jam venisse nuntiatur. Non ergo quia Christus post acceptum Joannis baptismum continuo jejunavit, tanquam regulam observationis dedisse credendus est, ut post ipsius Christi baptismum acceptum, continuo jejunare necesse sit: sed plane illo exemplo docuit jejunandum esse, quando forte acriore luctamine cum tentatore conflagimus. Ob hoc enim Christus, qui sicut homo dignatus est nasci, non respuit sicut homo tentari, ut Christianus magisterio ejus instructus non possit a tentatore superari. Sive ergo continuo post baptismum, sive quolibet intervallo temporis interposito, quando simile prælium tentationis infertur homini, jejunandum est: ut et corpus impleat de castigatione militiam, et animus impetret de humiliatione victoriam. In illo ergo

<sup>1</sup> Rom. vi, 4.



dominico exemplo illius causa jejunii, non Jordanis tinctio, sed diaboli tentatio fuit.

IV. Cur autem nos ante solemnitatem passionis Dominicæ jejunemus, et illa jejuniorum relaxatio quinquagesimo die perficiatur, hæc ratio est. Omnis qui recte jejunat, aut animam suam in gemitu orationis et castigatione corporis humiliat ex fide non ficta, aut ab illecebra carnali inopia aliqua spiritali veritatis et sapientiæ delectatione suspensa ad famem sitimque sentiendam descendit ejus intentio. De utroque jejunii genere Dominus respondit interrogantibus cur Discipuli ejus non jejunarent. Nam de illo primo, quod habet animæ humiliationem: « Non possunt, inquit, lugere filii sponsi, quandiu cum eis est sponsus. Sed veniet hora quando auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt. » De illo autem altero, quod habet epulas mentis, ita consequenter locutus est: « Nemo assuit pannum novum vestimento veteri, ne major scissura fiat: neque mittunt vinum novum in utres veteres, ne et utres rumpantur, et vinum effundatur; sed vinum novum in utres novos mittunt, et utraque servantur<sup>1</sup>. » Proinde quia jam sponsus ablati est, utique nobis filiis illius pulchri sponsi, lugendum est. Speciosus enim forma præ filiis hominum, cujus diffusa gratia in labiis ejus<sup>2</sup>, inter manus persequentium non habuit speciem neque decorem<sup>3</sup>, et ablata est de terra vita ejus. Et recte lugemus, si flagramus desiderio ejus. Beati quibus eum licuit ante passionem tunc habere præsentem, interrogare sicut vellent, et audire sicut audire deberent. Illos dies concupierunt videre patres ante adventum ejus, neque viderunt: quia in alia dispensatione fuerant ordinati, per quos venturus annuntiaretur, non a quibus veniens audiretur. De his enim ad Discipulos loquitur di-

<sup>1</sup> Matth. ix, 15-17. — <sup>2</sup> Psal. xlv, 3. — <sup>3</sup> Isai. lxxv, 2 et 8.

« Multi justi et Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt<sup>1</sup>. » In nobis autem illud impletum est, quod ipse itidem dicit: « Venient dies, quando desiderabitis videre unum de diebus istis, et non poteritis<sup>2</sup>. »

V. Quis non sancti desiderii flamma uratur? quis non hic lugeat? quis non laboret in gemitu suo? quis non dicat: « Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus<sup>3</sup>? » Credimus quippe in eum jam sedentem ad dexteram Patris: sed tamen quandiu sumus in corpore, peregrinamur ab eo<sup>4</sup>, nec eum dubitantibus vel negantibus et dicentibus: « Ubi est Deus tuus, » valemus ostendere. Merito Apostolus ejus concupiscebat dissolvi, et esse cum illo: manere autem in carne non sibi optimum ducebat, sed necessarium propter nos<sup>5</sup>. Ubi cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ, « Quoniam deprimit terra inhabitatio sensum multa cogitantem<sup>6</sup>. » Inde tentatio est vita humana super terram<sup>7</sup>: » et in hac sæculi nocte circuit leo quærens quem devoret<sup>8</sup>. Non Leo de tribu Juda, rex noster: sed leo diabolus, adversarius noster. Ille autem quatuor animalium de Apocalypsi Joannis figuras in se uno exprimens, natus ut homo, operatus ut leo, immolatus ut vitulus, volavit ut aquila<sup>9</sup>. « Volavit super pennas ventorum, et posuit tenebras latibulum suum<sup>10</sup>. Posuit tenebras, et facta est nox, in qua pertranseunt omnes bestię sylvæ. Catuli leonum rugientes<sup>11</sup>, » tentatores videlicet per quos diabolus quærit quem devoret; non quidem habentes potestatem; nisi in eis quos acceperint: quia et in Psalmo ipso ita sequi-

<sup>1</sup> Matth. xiii, 17, et Luc. x, 24. — <sup>2</sup> Luc. xvii, 22. — <sup>3</sup> Psal. xli, 4. — <sup>4</sup> 2 Cor. v, 6. — <sup>5</sup> Philip. i, 23. — <sup>6</sup> Sap. ix, 14. — <sup>7</sup> Job. vii, 1. — <sup>8</sup> 1 Petr. v, 8. — <sup>9</sup> Apoc. iv. — <sup>10</sup> Psal. xvii, 11, 12. — <sup>11</sup> Id. ciii, 20, 21.



tur : « Quærentes a Deo escam sibi<sup>1</sup>. » In tam periculosa et tentationibus plena hujus sæculi nocte quis non timeat, quis non medullis omnibus contremiscat, ne dignus iudicetur qui devorandus dimittatur in fauces tam crudelis inimici? Unde jejunandum et orandum est.

VI. Et quando potius, quando instantius, quam propinquante ipsa Dominicæ passionis solemnitate, qua celebritate anniversaria quodam modo nobis ejusdem noctis memoria resculpitur, ne oblivione deleatur, ne nos non corpore, sed spiritu dormientes, ille rugiens devorator inveniatur. Nam et ipsa Dominica passio, quid nobis aliud in capite nostro Christo Jesu, quam ipsam vitæ hujus tentationem maxime commendavit? Unde adveniente jam mortis suæ tempore, Petro dixit : « Postulavit Satanas » vexare vos sicut triticum ; et ego rogavi, Petre, pro te, » ne deficiat fides tua : vade et conforta fratres tuos<sup>2</sup>. » Et plane confortavit nos per apostolatam, per martyrium, per Epistolas suas. Ubi etiam noctem, de qua loquor, admonens formidandam, consolatione prophetiæ tanquam nocturni luminis, ut cauti vigilaremus edocuit. « Habemus, inquit, certiore propheticum sermonem, cui » benefacitis intendentes, tanquam lucernæ lucenti in » obscuro loco, donec dies luceat, et Lucifer oriatur » in cordibus vestris<sup>3</sup>. »

VII. Sint ergo lumbi nostri accincti, et lucernæ ardent<sup>4</sup>, et nos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando veniat a nuptiis. Nec dicamus invicem nobis : « Manducemus et bibamus, cras enim moriemur<sup>5</sup>. » Sed eo magis, quo incertus est mortis dies, et molestus est vitæ dies, jejunemus et oremus, cras enim moriemur. « Pusillum, inquit, et non videbitis me ; et iterum pusil-

<sup>1</sup> Psal. ciii, 20. — <sup>2</sup> Luc. xxii, 31, 32. — <sup>3</sup> 2 Petr. 1, 19. — <sup>4</sup> Luc. xii, 35. — <sup>5</sup> 1 Cor. xv, 32.

lum, et videbitis me<sup>1</sup>. » Hæc est hora de qua dixit : « Vos tristes eritis, sæculum autem gaudebit : » id est, vita ista tentationibus plena, in qua peregrinamur ab eo. « Sed iterum, inquit, videbo vos, et gaudebit cor vestrum ; et gaudium vestrum nemo auferet a vobis<sup>1</sup>. » In hac spe fidelissimi promissoris etiam nunc utcumque gaudemus, donec veniat illud uberrimum gaudium, cum similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, et gaudium nostrum nemo auferet a nobis<sup>1</sup>. Hujus enim spei tam gratum et gratuitum etiam pignus Spiritum sanctum accepimus, qui in cordibus nostris inenarrabiles gemitus operatur sanctorum desideriorum. « Concepimus enim, » sicut ait Isaïas, et parturivimus spiritum salutis<sup>3</sup>. Et » mulier cum parturit, ait Dominus, tristitia est illi, quoniam » venit dies ejus : sed cum peperit, fit gaudium » magnum, quoniam natus est homo in sæculum<sup>4</sup>. » Hoc erit gaudium, quod nemo auferet a nobis ; quo in æternum lumen ex hac fidei conceptione transfundemur. Nunc ergo jejunemus, et oremus, cum dies parturitionis est.

VIII. Hoc totum corpus Christi per totum orbem diffusum, id est, tota hoc agit Ecclesia, et illa unitas quæ dicit in Psalmo : « A finibus terræ ad te clamavi, dum » angeretur cor meum<sup>5</sup>. » Unde jam nobis elucet cur Quadragesima instituta sit hujus humiliationis solemnitas. Quæ enim a finibus terræ clamat, cum angitur cor ejus, a quatuor orbis terræ partibus clamat, quas frequenter etiam Scriptura commemorat, Oriente et Occidente, Aquilone et Meridie. Per hoc totum ille Decalogus Legis, jam non per litteram tantummodo metuendus, sed per gratiam charitatis implendus, indictus est. Unde quater multiplicatis decem, videmus quadraginta compleri. Sed ad-

<sup>1</sup> Joan. xvi, 19, 20. — <sup>2</sup> 1 Joan. iii, 2. — <sup>3</sup> Isaï. xxvi, 18. — <sup>4</sup> Joan. xvi, 21. — <sup>5</sup> Psal. lx, 3.



huc in labore tentationis, cum venia delictorum. Quis enim perfecte implet, « Non concupisces<sup>1</sup>? » Unde jejundandum et orandum est: a bono tamen opere non cessandum. Cui labori merces illa redditur in fine quæ denarii nomine nuncupatur. Sicut autem ternarius a tribus, quaternarius a quatuor; ita denarius a decem nomen accepit: qui conjunctus quadragenario tanquam merces labori redditur. Quinquagenarii numeri figura tempus illius gaudii significat, quod nemo auferet a nobis: cujus in hac vita nondum functionem habemus; sed tamen post solemnitatem Dominicæ passionis a die resurrectionis ejus per dies quinquaginta, quibus jejunia relaxamus, hoc in Dominicis laudibus personante Alleluia celebramus.

IX. Nunc itaque, in persona Christi, ut non circumveniamini a Satana, exhortor vos, dilectissimi, ut quotidianis jejniis, largioribus eleemosynis, ferventioribus orationibus Deum propitietis. Nunc tempus est, quo et conjugati ab uxoribus, et nuptæ a suis viris abstineant, ut orationibus vacent: quanquam et per totum annum certis diebus hoc facere debeant: et quanto crebrius, tanto utique melius: quia et qui concessa immoderate appetit, eum qui concessit offendit. Oratio quippe spiritualis res est, et ideo tanto est acceptior, quanto magis suæ naturæ implet effectum. Tanto magis autem spiritali opere funditur, quanto magis animus qui eam fundit, a carnali voluptate suspenditur. Quadraginta diebus jejunavit Moyses Legis administrator, quadraginta Elias excellentissimus Prophetarum, quadraginta ipse Dominus testimonium habens a Lege et Prophetis. Inde cum his duobus in monte se ostendit. Nos autem qui tam longum jejunium perpetuare non possumus, ut per tot dies et noctes nihil alimentorum, sicut et illi, accipiamus, sal-

<sup>1</sup> Exod. xx, 17, et Deut. v, 23.

tem quantum possumus faciamus; ut exceptis diebus per quos certis de causis mos Ecclesiæ prohibet jejunare, Domino Deo nostro vel quotidiano, vel crebro jejunio placeamus. Sed numquid sicut a cibo et potu abstinentia per tot dies non potest esse continua, sic et a concubitu non potest? cum videamus in nomine Christi multos utriusque sexus ab hac re penitus immunia membra Deo dicata servare. Puto non esse magnum, ut tota paschali solemnitate possit conjugum castitas, quod potest tota vita virginitas.

X. Jamvero illud, quanquam admonere non debui, quandoquidem tempus humiliandæ animæ quantum potui maxime commendavi; tamen propter hominum errores, qui per vaniloquas seductiones et pravas consuetudines nobis molestam pro vobis curam inferre non cessant, tacere non possum. Sunt quidam observatores Quadragesimæ deliciosi potius quam religiosi, exquirentes novas suavitates magis quam veteres concupiscentias castigantes; qui copiosis pretiosisque apparatus fructuum diversorum, quorumlibet obsoniorum varietates et sapes superare contendunt: vasa in quibus coctæ sunt carnes tanquam immunda formidant, et in sua carne ventris et gutturis luxuriam non formidant: jejunant, non ut solitam temperando minuant edacitatem; sed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, opimis mensis tanquam pecora præsepibus irruunt; numerosioribus ferculis corda obruunt ventresque distendunt; artificiosis et peregrinis condimentorum diversitatibus gulam, ne vel copia compescatur, irritant. Denique tantum capiunt manducando, quantum digerere non sufficiant jejunando.

XI. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, ut aliorum expressione pomorum alios sibi liquores, non salutis cau-



sa, sed jucunditatis, exquirant : tanquam non sit Quadragesima piæ humilitatis observatio, sed novæ voluptatis occasio. Quanto enim honestius, si stomachi infirmitas aquam potare non tolerat, vino usitato et modico sustentetur, quam quærantur vina quæ vindemiam nesciunt, quæ torcularia non noverunt ; non ut potus mundior eligatur, sed ut frugalior improbetur ? Quid autem absurdius, quam tempore quo caro arctius castiganda est, tantas carni suavitates procurare, ut ipsa faucium concupiscentia nolit Quadragesimam præterire ? Quid inconvenientius, quam in diebus humilitatis, quando pauperum victus omnibus imitandus est, ita vivere, ut si toto tempore sic vivatur, vix possint divitum patrimonia sustinere ? Cavete ista, dilectissimi : cogitate quod scriptum est : « Post concupiscentias tuas non eas<sup>1</sup>. » Quod saluberrimum præceptum si omni tempore observandum est, quanto amplius his diebus, quando ita turpe est si cupiditas nostra ad inusitatas laxetur illecebras, ut merito culpetur qui non restrinxerit usitatas.

XII. Præcipue sane pauperum mementote, ut quod vobis parcius vivendo subtrahitis, in cœlesti thesauro reponatis. Accipiat esuriens Christus, quod jejunans minus accipit Christianus. Castigatio volentis, fiat sustentatio non habentis. Voluntaria copiosi inopia, fiat necessaria inopis copia. Sit etiam in animo placabili et humili misericors ignoscendi facilitas. Petat veniam, qui fecit injuriam : det veniam qui accepit injuriam : ut non possideamur a Satana, cujus triumphus est dissentio Christianorum. Et hæc enim magni lucri eleemosyna est, debitum relaxare conservo, ut tibi relaxetur a Domino. Utrumque opus bonum cœlestis Magister Discipulis commendavit dicens : « Remittite, et remittetur vobis ; date, et dabitur

<sup>1</sup> Eccli. xviii, 30.

» vobis<sup>1</sup>. » Mementote servi illius, cui omne debitum dominus ejus quod donaverat, replicavit, quia conservo ipse debenti sibi centum denarios misericordiam non rependit, quam de talentorum decem millibus quæ debebat accepit<sup>2</sup>. In hoc genere operis boni excusatio nulla est, ubi sola voluntas tota facultas est. Potest quisque dicere : Ne stomachus doleat, jejunare non possum. Potest etiam dicere : Volo dare pauperi ; sed unde, non habeo : aut tantum habeo, ut timeam egere, si dedero. Quamquam et in his operibus excusationes plerumque sibi homines falsas faciunt, quia veras non inveniunt. Verumtamen quis est qui dicat : Ideo non ignovi veniam petenti, quia me valetudo impedivit, aut quia manus qua porrigerem non fuit ? Dimitte, ut dimittatur tibi. Carnis hic opus nullum est, nullum vel carnis suæ membrum in adjutorium animæ assumitur, ut hoc impleatur, quod rogatur. Voluntate agitur, voluntate perficitur. Fac securus, da securus, nihil in corpore dolebis, nihil in domo minus habebis. Jamvero, fratres, videte quid mali sit, ut pœnitenti fratri non ignoscat, cui præceptum est ut inimicum adhuc diligat. Quæ cum ita sint, cum scriptum sit : « Sol non occidat super iracundiam vestram<sup>3</sup> : » considerate, charissimi, utrum Christianus dicendus sit, qui saltem his diebus inimicitias non vult finire quas nunquam debuit exercere.

<sup>1</sup> Luc. vi, 37, 38. — <sup>2</sup> Matth. xviii, 27. — <sup>3</sup> Ephes. iv, 26.